



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XXVII. Quantum temporis ad Diem Novissimum? Dominica XXV.  
Post Pentecosten. Stitote quia propè est in januis. Matth. 24. v. 33.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)





# PROBLEMA XXVII.

Quantum temporis ad Diem  
Novissimum?

## DOMINICA XXV. POST PENTECOSTEN.

*Stitote quia propè est in januis. Matth.*

24. v. 33.

S. 1.  
Mundus  
semper  
deterior.

**Q**uod mundus senescat & passibus magnis ad interitum vergat, dubitari vix potest. abundat enim iniquitas, refrigerat charitas non tantum multorum, sed potissimum, refrigerat heu! sanguis Christi in multorum cordibus, memoria passionis tabescit in mentibus, serius salutis Zelus in plerisque evanescit, certè si S. Medardus circa annum quingentesimum quadragesimum, S. Gregorius circa annum quingentesimum nonagesimum secundum, S. Vincentius Valentinus circa annum millesimum quadragesimum decimum quintum consideratis sceleribus illius temporis putarunt paulò post consummandum sæculum, quid de hoc nostro sentirent, si viverent, in quo deteriora omnino omnia, quam quondam fuerint, invenirent. Fuit Ecclesia sicut statua Nabuchodonosoris, cujus caput aureum per primos quadringentos annos aurea fulsit charitate, fuitque omnium cor unum. successit pectus argenteum tempore SS. Hieronymi, Ambrosii, Augustini,

quando Ecclesia, ut loquitur S. Hieronymus in vita Malchi, potentia quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est ob Hæresin Arii. Venter dein æreus usque ad Gregorii magni tempora, succrevit, quibus Mahomet vastabat Africam, & Christus perditurus erat mundum, nisi Divi Franciscus & Dominicus columnæ duæ suppositæ fuissent. Hinc ad nostra tempora tibiæ extant ferreæ, cum homines ferro duriores verberibus coerceri potius debeant & frangi, quam flecti se & regi patiantur, candoris & splendoris expertes. Sequentur porro pejora sub Anti-Christo tempora, pedes videlicet ferrei & lutei, indurati toti & immerfi voluptatibus homunciones. & tunc lapis sine manibus abscissus decidet, Christus ad judicium descendet, totamque hanc machinam conteret & conquassabit; quod quanto post tempore futurum sit, conjecturis pauculis definiamus.

Quamvis nostrum non sit nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate, non est tamen à modestia Christiana alienum pie indagare in tempora mundi novissima, quo-

S. 2.  
Conjectura  
I. ex  
creatione  
mundi.

U 2

rum



rum scientiam nobis Incarnata in-  
 sinuat Sapia: *Scitote quia prope  
 est (seculorum finis) in januis.* Ni-  
 hil ex sensu meo definiam, sed quæ  
 à doctissimis divinarum paginarum  
 Lucubratoribus congeſta eſſe com-  
 peri, in medium breviter proferam.  
 Observat in primis doctissimus He-  
 bræorum Philo in verbis illis, qui-  
 bus creationem mundi descripsit  
 Moyses: *in principio creavit DEus  
 cælum & terram* Gen. 1. v. 1. sex a-  
 leph apud Hebræos reperiri; cum  
 autem quodlibet aleph arithmeti-  
 cè mille significet, insinuare visus est  
 DEus mundum ad sex aleph, sive ad  
 sex millia annorum, quibus perdu-  
 ret, eſſe conditum. Sex diebus con-  
 ditus est mundus die septimo requi-  
 evit DEus ab universo opere. Sex  
 diebus puta Sex millibus annorum  
 probabiliter mundus consistet (mil-  
 le enim anni, ut David & Petrus in-  
 quiunt, sunt apud DEum sicut *dies u-  
 nus*) post quos requiescent homines  
 à laboribus suis: *Ego arbitror* in-  
 quit D. Hieronymus ad S. Cypria-  
 num, Psalmi 89. versum quartum  
 explicans, *Ego arbitror ex hoc loco  
 mille annos pro una die solitos appel-  
 lari, ut scilicet, quia mundus in sex die-  
 bus fabricatus, sex millibus tantum  
 annorum credatur subsistere, & postea  
 venire septenarium & octonarium  
 numerum, in quo verus exerceatur  
 Sabbatismus.* similiter S. Gaudenti-  
 us Brixianus tract. 10. S. Germanus  
 Patriarcha Constantinopol. S. Cyril-  
 lus aliique sentiunt: *expectamus il-  
 lum verè Sanctum diem septies mille-  
 simi anni, qui adveniet post dies sex,  
 sex millium videlicet annorum seculi,  
 quibus completis requies erit verè  
 Sanctitati.* Sex primi parentes  
 orbis, Adamus, Seth, Enos, Cainan,  
 Malaleel, Jared, mortui sunt, septi-  
 mus verò in paradysum translatus  
 adhuc vivit, ex quo infert D. Isido-  
 rus, sex millibus annorum regnatu-

2. Petr. 3.  
 v. 8.

Id. in  
 gloss.  
 Gen. 5.

ram in mundo mortem, septimo au-  
 tem millenario inchoandam im-  
 mortalitatem, & homines vel in pa-  
 radysum cœlestem vel in centrum  
 terræ transferendos esse. Definitur  
 ætas hominum Gen. 6. v. 3. centum  
 viginti annorum, quos si symbolice  
 accipias & annos Mosaios seu ju-  
 bilæos interpreteris, habebis sex  
 annorum millia, quibus totius  
 mundi ætas terminetur.

Hæc de creatione mundi insi-  
 nuasse sufficiat, ex conservatione e-  
 jusdem sive statibus diversis, quos  
 Leges distinxere, durationem mun-  
 di libet observare. Triplex in  
 mundo Status seu Lex notatur, Na-  
 turæ, Circumcisionis, Gratia; du-  
 ravit Lex naturæ ab Adam ad Abra-  
 ham annis prope bis millenis; Lex  
 Circumcisionis ab Abraham ad Chri-  
 stum annis præcisè bis millenis, du-  
 rabit & Lex Gratia non pl9 bis mil-  
 lenos ultra annos, in cujus Symbo-  
 lum doctissimus Serarius in l. 3. Jo-  
 sue gratiosè observat mandatum à  
 DEo fuisse, ut Arca foederis in tran-  
 situ Jordanis bis mille cubitis dista-  
 ret à populo, quò per cubitos bis  
 millenos totidem anni describeren-  
 tur, per quos sacer baptismus per  
 Jordanem significatus patet, &  
 sanctissima Sacramenta populum  
 electum ad terram promissionis de-  
 ducent. Vix fore autem legis gra-  
 tiosæ tempus longius, quàm fuerit  
 Naturæ aut Circumcisionis, conjici-  
 mus ex illa scribendi formula, quâ  
 Petrus, Paulus, Joannes, Jacobus, in  
 epistolis suis usi sunt: *omnium finis  
 appropinquavit* 1. Petri 4. v. 7. *finis  
 seculorum* 1. Cor. 10. v. 11. *novissima  
 hora est* 1. Joan. 2. v. 18. *adventus  
 Domini appropinquavit* Jacob. 5. v.  
 8. ex quibus omnibus inferas: si  
 juxta computum Cornelii à lapide  
 Christus natus est Anno mundi  
 3950. & consequenter hoc anno  
 Christi 1680. agitur annus mundi

S. 3.  
 Conjectu-  
 ra Secun-  
 da ex sta-  
 tibus seu  
 legibus

5630.



5630. non restabunt ad septimum millenarium & mundi finem anni plures 370.

S. 4.  
Conjectura  
3. ex  
prophetia  
Malachiae.

Non modicum huic nostrae conjecturae pondus accedit ex oraculo S. Malachiae Ardinacensis in Hybernia Episcopi Anno 1148. pie demortui ac plurimum à S. Bernardo dilaudati, cujus annua in Sanctorum fastis memoria celebratur 2. Novembris. Consignavit is secutorum Romanorum Pontificum numero centum duodecim feriem, eosque sub obscuris depinxit Symbolis, ex quibus viginti sex post Innocentium undecimum, cui DEUS annos Petri faveat, supersunt, hisce sub tesseriis designati. 1. *Pœnitentia gloriosa.* 2. *Rastrum in porta.* 3. *Flores circumdati.* 4. *de bona religione.* 5. *Miles in bello.* 6. *Columna excelsa.* 7. *Animal rurale.* 8. *Rosa Umbriae.* 9. *Ursus velox.* 10. *Peregrinus Apostolicus.* 11. *Aquila rapax.* 12. *Canis & Coluber.* 13. *Vir religiosus.* 14. *De balneis Etruriae.* 15. *Cruce de Cruce.* 16. *Lumen de caelo.* 17. *Ignis ardens.* 18. *Religio depopulata.* 19. *Fides intrepida.* 20. *Pastor Angelicus.* 21. *Pastor & Nauta.* 22. *Flos Florum.* 23. *de medietate lunæ.* 24. *de labore solis.* 25. *Gloria Olive.* 26. *Petrus secundus Romanus, qui pasceat oves in multis tribulationibus, quibus transactis Judex tremendus judicabit populum suum. Quæ prophetia si vera est, ut esse pie creditur, adeoque non nisi viginti sex supersunt, nullus omnium vero 25. annos in pontificatu vivere solet, unde & electo novo Pontifici solenni verbo acclamatur: *Annos Petri beatissime Pater non videbis*, annos videlicet*

25. quot Petrus gregi Dominico præfuit, facile conjicimus ultra annos 370. mundum nequaquam duraturum. Demus enim quemlibet secutorum Pontificum annis duodecim regnaturum, ex residuis 26. pontificibus non plures annis trecentis supra 12. constabuntur. Scimus autem complures Romanorum Antistitum nec annum nec mensem supervivisse, & quovis seculo facile 16. pontifices sibi invicem successisse, primo quidem seculo quatuor numerantur; undecim secundo & quarto, quindecim seculo tertio, duodecim seculo quinto, tredecim seculo sexto, & octavo, viginti seculo septimo, septendecim seculo nono, viginti sex seculo decimo, octodecim seculo undecimo, sedecim seculo duodecimo, totidem decimo tertio, decem seculo decimo quarto, tredecim seculo decimo quinto, septendecim seculo decimo sexto, novem hoc nostro seculo decimo septimo, videlicet Leonem XI. Paulum V. Gregorium XV. Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. Clementem IX. Clementem X. Innocentium XI. Bene proinde Bernardus Eugenium suum in pontificem anno 1145. electum monuit ep. 237. *quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? ipse prædecessores tui tuæ certissime & citissime decessione admoneant & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum (addo & interitum mundi) nuntiet tibi.*

Hierarchico imperio politicum addamus dominatum & ex Romani diminutione Imperii (quod usque ad Anti-Christi tempora duraturum prædixit Dani-

S. 5.  
Conjectura  
ultima  
ex Romani  
Imperii  
diminutione



el. c. 2. v. 43.) prope esse mundi interitum conjecturemus. Consvēre Christi fideles pro Romani diuturnitate Imperii frequentissimas ad DEum effundere preces, ut testatur Tertullianus in Apologet. c. 23. utpote ex cujus incolumitate integritatem orbis bene ominabantur. Est enim quadruplex mundi Monarchia Nabuchodonosori per statuam grandem objecta, cujus caput aureum felicitatem & gloriam Babyloniorum, pectus argenteum opulentiam Persarum, venter æreus potentiam & sapientiam Græcorum, tibiæ ferreæ firmitatem Romanorum designabant, & quia Imperium hoc in Orientale & Occidentale divisum fuit, per geminas tibiæ adumbratur, desinetque tandem in decem digitos cum dividetur in decem regna ab Anti-Christo conterenda. At quota jam Romani pars Imperii superest, quanta regna & provinciæ ab ejus se dominatu subduxere & pœne quotidie subducunt? ubi Hispania, Gallia, Anglia, Polonia? ubi Ægyptus, Græcia Syria, Asia? quantilla ex tanto terrarum mariûmque tractu particula Romani Imperii titulo digna? Decrescit Imperium, senescit orbis totus, scitote quia interitus prope est in januis. Quod de suis temporibus scripsit D. Cyprianus ad Demetrianum, verius de nostris repeti debet: scire debes fenuisse jam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea prævalebat, hoc mundus ipse jam loquitur & occasum sui rerum labentium probatione testatur: non hieme nutriendis seminibus tanta imbrium copia; non frugibus æstate torrendis solita

flagrantia est; nec sic verna de temperie sua læta sunt; nec adeo arboreis factibus autumnæ fecunda sunt. Minus de effosis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti & auri opes suggerunt exhausta jam metalla. Deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Minuatur necesse est, quidquid sine jam proximo in occidua & extrema devertit. hæc sententia mundo data est: hæc DEi lex est, ut omnia orta occidant & aucta senescant; & infirmetur fortia & magna minuantur; & cum infirmata & diminuta fuerint, finiantur. Cum olim ultra 800. & 900. annos vita hominum longæva procederet, vix nunc potest ad centenarium numerum pervenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit à senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodecunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectio- ne sit & in fine. Hucusque Rhetor & Martyr Cyprianus.

Ex his omnibus conjiciat unusquisque suo arbitrio, quantum prudenter censerit superesse temporis ad mundi finem. mihi dicere sufficiat cum recentissimo Concionatore: Malè sibi quidam imaginantur procul abesse iudicii diem; contra quam Servator clamet: *Attendite nè superveniat in vos repentina dies illa.*

§. 6.  
Omnis dies, hora, momentum sit nobis novissimum.

tan-



*tanquam laqueus enim superveniet in omnes.* Luc. 21. v. 35. Pisces & aves cum securissimè vivere videntur, ecce laqueo capiuntur, ex quo extricari difficile, poenè impossibile est. *sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.* Cur laqueo dies novissima comparetur, causam triplicem reddit Cornelius; sicut laqueo ex infidiis capiuntur aves incautæ, ita homines voluptuarii die novissimo capiuntur; sicut laqueus aves strangulat, sic iudicii dies peccatores suffocat; sicut laqueus semper retinet, quod semel cepit, sic novissimi iudicii sententia homines perpetuò constringit. Extemplo superveniet

cum minimè putabitur; erit proinde ille dies novissimus, illa hora novissima, illud novissimum momentum, quod non putatur, in aliis putare est errare, in hoc verò Salutis æternæ negotio putare quemlibet diem, horam, momentum esse novissimum, est extra omnem errorem versari.

Quod si igitur scire quis velit, quot anni, quot dies, quot horæ & quadrantes, & quadrantium momenta ad novissimum sint diem, horam, quadrantem, minutum? huic respondeo esse unicum.

Ex clesstia-  
fic. 9. v.  
32.

*Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

nec diem tantum, sed horam, sed momentum supremum puta:

*Momento à quovis vitæ pendere memento,*

*Sive perenne bonum, sive perenne malum.*

Tantum à die novissimo abes, quantum abes à morte: qualem te novissimus vitæ dies inveniet, talem novissimus mundi dies te iudici fiet. hæc duo cogita & age quod agis, quia mors, iudicium, æternitas prope est in januis.

Antonii Magni documentum fuit supremum: ut manè quotidie cogitent diem illum fore sibi novissimum, itaque ætus omnes quisque die illo sic obeat, quasi certò sit moriturus & coram æterno iudice rediturus rationem. dicat unusquisque sibi quotidie: hodie

cœpivivere DEO, hodie quoque finiam & moriar. Idem documentum dedit D. Gregorius Nazianzenus in monostichis: *Agendorum principium & finem constitue DEUM, vitæ lucrum sit quotidie excedere vitæ & mori.* Utilitatem hujus exercitii describit S. Hieronymus epistola ad Cyprianum qui ubi dixisset: *nihil ita decipit genus humanum quam quòd, dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi seculi hujus possessionem repromittunt. unde & illud egregie dictum est, nullum tam senem esse & sic decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vive-*



*vivere suspicetur. hæc inquam ubi dixisset, prudentissimè subjungit: ad hunc sensum pertinet & illud quod dicitur: memorare mortis tuæ & non peccabis: qui enim se recordatur quotidie moriturum, contemnit presentia & ad futura festinat. Diem novissimum cogitare esse in januis, ut cum dominus venerit & pulsaverit, confestim aperias ei, dicásque festivum illud: Ingrederere auditurus vicissim: Intra in gaudium Domini tui.*

Corona Problematis esto Horologium, cujus indicem Mors dirigit, cum appposito circumscriptis duodecim horis lemmate: *Ex his una.* Ex nubibus tubicen Angelus infonatur: *quâ horâ non putatis,* in idem horologium digitum intendens Pathmæus Yates monet: *filioli hora novissima est* Tutelaris verò Genius suggerit: *Quovis Momento Finem appropiare Memento.*

§. 7.  
Emblema.



PRO-